



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 23. Tam propria tàm aliena mala aequanimiter ferenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

lance omnia tormenta, omnes injuriæ, omnia dedecora ponerentur, hæc certè præ illis, ac si nullius ponderis forent, levissima apparerent. Considerandum quoque est, quælibet ab aliis illata mala non ab inferentis, sed à patientis affectu graviora vel leviora consistunt. Nam qui hæc spernit, qui non accipit, qui vulnere superior est, nihil patitur. Non manus quæ tela vibrat vulnus facit, sed corpus quod patitur: nam si quis corpus adamantinum haberet, licet innumeris undique telis percuteretur, nullo vulnere affici posset: ita injuriæ, oblocutiones, & alia mala non à petulantium, & improborum insania lædendi vim habent, sed à Patientis imbecillitate. Beatus est, qui vitam suam ita disposuit, ut de illo quidpiam sinistra ne fingi quidem possit, pugnante meriti magnitudine adversus malignantium obtreccationes. Quod si hoc assequi non valemus, hanc saltem diligentiam vitæ nostræ adhibere par est, ut nemo in nobis detrahendi occasionem inveniat, alioquin frustra detractoribus irascimur, si nos illis detrahendi materiam suppeditamus. Si verò nobis cuncta sollicitè ad honestatem providentibus, illi nihilominus insaniunt, consolari nos debet Redemptoris nostri semper memoranda sententia: *Beati estis cum dixerint omne malum adversum vos mentientes (Matth. 5: 11.)* Sentiant de nobis homines, & dicant quidquid libet, beati erimus si nostra nos conscientia apud Deum non aceuset. Fallaces & mutabiles sunt hominum opiniones, vana judicia, quæ nec profunt nobis, nec obsunt. *Si hominibus placerem, inquit Apostolus, Christi servus non essem (Gal. 1: 10.)* Sed nec fieri quidem potest, ut quis omnibus placeat: nam vel se suum cuique est, trahitque omnes diversa, & unumquemque sua voluptas, & qui ab uno laudatur, ab aliis deridetur. Quidam Philosophus dicenti sibi, omnes te derident, respondit; at ego non derideo. Illos siquidem irrideri non posse judicabat, qui de risionibus non perturbatur.

§. XXIII.

Tam propria, quam aliena mala æquanimitè ferenda.

Optimum remedium est, in omni afflictione & adversitate à præsentis angustia mentem avertere, & ad Deum convertere, nostra quippe

natura angorem suum conspiciere nequit sine affectu miserationis erga se ipsam. Tum quia omnis cruciatus & ægitudine animi ex eo provenit, quod rem, quam amamus, amittere timeamus; efficacissimum omnium malorum alexipharmacum est illud solummodo bonum amare, quod nulli subest mutationi, nec ab ulla creata potentia auferri potest, aut impediri. Ab aliquo autem verbo, vel factò læsi, linguam omnino continere debemus, ne in verba erumpat animi commotionem indicantia: sicut enim languentis stomachi est non posse cibum duriores concoquere, ita animi pusilli est, aspera verba ferre non posse. Dicebat quidam vir sanctus, se nullam unquam habuisse adeò gravem afflictionem, quam tacendo non vicerit; nam quidquid sit quod cruciat, spretum exolescit: si verò irascimur acceptà injuriâ, eâ nos dignos fuisse testamur. Dignus est contempti, qui de contemptu dolet. Non tamen sufficit dolorem intus premere, & tacere, sed intus etiam se arguere oportet, & omni abjectione dignum aestimare. Etenim vir sapiens, qui se attentius circumspicit, non considerat quid patiat, sed quàm multa dignus sit pati propter peccata, quibus Deum offendit. Alios autem non judicat, ne seipsum damnet, memor Apostoli dicentis. *In quo judicas alterum te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas (Rom. 2: 1.)* neque offenditur ob exiguum proximi debitum ipse debitor decem millium talentorum. Insanus est, qui suo graviore morbo, impatientiâ scilicet & superbiâ, alienum curare nititur. *Tu quis es, inquit Apostolus, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. (Rom. 14: 4.)* Aut quomodo potes dicere fratri tuo, ut in Evangelio legimus, *sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns. (Luc. 6: 42.)* Solius Dei est aliena delicta judicare, cujus est ea justè punire, aut misericorditer curare. Ad nos autem spectat, ea si non possumus corrigere, & impedire; alioquin patienter ferre; nam si vitium displicet, illud prius in nobis emendandum est, quàm in aliis. Qualis Deus erga nos est, patiens scilicet, & misericors, tales nos aliis exhibere debemus.

§. XXIV.